



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Davidis Regii Prophetæ Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs CXXVI. In conuertendo Dominus &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Impia ne nimium latè truculentia grassans  
Compellat mentes ad malefacta pijs.  
Sicut es in populum solitus conferre salutem:  
Nunc ita corde bonos perge beare, Deus.  
Sed qui neglecta temerè pietate sequuntur  
Crimina, eos reprobis annumerare soles.  
Isacidum soboles potiatur pace serena,  
Libertate sua gaudeat absq; metu.*

PSALMVS CXXVI.

In conuertendo Dominus &c.

*CVm Dominus populū captiuū è carcere ducet,  
Gaudia erunt huic, ceu somnia grata vidētis.  
Sancti laudabunt Dominum, pleno ore, iuuantem,  
Fortia gesta Dei narrabit lingua piorum.  
Tunc inter gentes dicent & ubiq; locorum:  
Quanta potens miracula Deus populo exhibet isti?  
Magnifici bonitas sicut conspecta Jehouæ,  
Est meritò à nobis eterna laude canenda.  
Nunc age, summe pater, captorum vincula solue:  
Vincla quibus Babylon constrinxit colla piorum.  
Libera ab exiliis, torrentes siccet ut Auster.  
Qui lacrymas serit, et qui flens sua semina spargit,  
Gaudia*

*Gaudia pro lacrymis, solatia proq̄ querelis  
Percipiens, lata & felici messe fruatur.  
Egressi tristes mandarunt semina terra,  
Gaudentes referunt nexos ad terga maniplos.*

PSALMVS CXXVII.

Nisi Dominus ædificauerit &c.

*V*ls, labor atq; manus mortales condere possunt,  
Quod durare queat nil, nisi dante Deo.  
Ni vigil ipse Deus structam custodiat urbem:  
Nil vigilans custos excubitorq; valent.  
Manè nihil prodest abrupto surgere somno,  
Nil vigilem tota nocte sedere iuuat.  
Queritis en victum, vano stultoq; labore,  
Cum det dilectis omnia sponte Deus.  
Filioli patribus nati sunt dona Jehoue,  
Exhilarant matrem pignora cara suam.  
Dextra velut fortis non irrita spicula mittit,  
Ætas virtutem sic iuuenilis habet.  
Felix, cui restat telorum plena pharetra  
Istorum: causa victoris esse potest.

PSAL